

Bibliothèque numérique

medic@

**Lamblor, Jean-Nicolas - candidat /
Bordenave, Toussaint - président. - De
vesicae paracentesi**

1765.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°7



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0007



D. O. M.

DE VESICÆ PARACENTESI.

THESES


ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



ARII humores à sanguinis mole secreti eodem usus non obtinent. Alii intrâ corpus permanent ; alii partim forâs excernuntur ; penitus eliminantur ultimi. Ab ipsis contrâ naturæ leges retentis aut coacervatis innumeri ferè oriuntur morbi ; quorum , acerbior vix ullus celerius oritur , illo quem parit urina in vesicâ collecta , detenta , nullo modo excreta , quemque Ischuriæ nomine Græci salutârunt. Dirus iste affectus auxiliis Chirurgiæ citissimè arcendus , sæpe sæpius remediis efficacioribus indocilis , nec-non ope catheterismi quandoque insuperabilis , ægrum doloribus atrocibus indefinenter excruciatum ineluctabili paucis diebus traderet letho , nisi Chirurgus tempestivam instituens vesicæ paracentesim , ægrum ex orci faucibus eriperet. Priusquàm autem

A

G



2

huiusce morbi Pathologiam , Therapeiamque aggrediamur , de præcipuâ illius sede , tum quoad affectum , tum respectu operationis Chirurgicæ , Anatomicæ quædam notiones præmittendæ sunt.

I.

VESICA urinaria pyri vel lagenæ formam referens , viscus est membranaceum , musculosum , ponè os pubis situm , cavum , inferiori parte latius , urinæ servandæ spatium temporis indeterminato dicatum. Varia est ipsius forma , pro ætate , pro sexu , nec-non pro variis circumstantiis. In ipsâ diversæ obijciuntur partes , scilicet cervix , fundus , corpus , latera , nec-non apertura , urinæ tum admittendæ , tum excernendæ inservientes. Eâdem structurâ ac ventriculus , gaudere videtur. Superiùs , posteriùs & lateraliter peritonæi lamellâ cingitur. Reliquum vesicæ corpus ejusdem textu cellulari tantum circumdatur.

TRES deindè numerantur membranæ , una quæ muscosa , secunda quæ nervea , tertia quæ villosa cognominantur. Musculosam efformant varia fibrarum stamina , quæ longitudinalem , obliquam , transversam lineam æmulantur. Huic subjacet alia quæ nervosæ nomen audit , variis intertextâ tendineis fibris , obliquè intrâ se , invicem intersectis. Ultima reperitur villosa , rore mucilaginoso continuo madens , vesicæ ab urinæ acrimoniâ servandæ destinata.

VARII cum partibus vicinis fruitur connexionibus.

APUD viros cum intestino recto , urethrâ , vesiculis seminalibus ; cum vaginâ apud mulieres intermedio textu cellulari connectitur : in utroque verò sexu ossibus pubis alligatur , operam fibrarum ligamentorum vices gerentium , quàm fasciculorum carneorum ab ipsissimis ossibus pubis orientium , ad cervicem vesicæ obliquè vergentium , ipsisque fibris tunicæ musculosæ mutuo insertorum.

IN parte infimâ tria perspiciuntur foramina : duo ureterum orificia ; tertium prostaticæ glandulæ crassâ substantiâ circumdatum , ut colli vesicæ finis , & urethræ origo , considerandum.

VESICAM alluunt vasa sanguifera & nervosa.

Ab hypogastricis arteriis oriuntur. Umbilicales dictæ , ramulis ad latera vesicæ distributis ad umbilicum perveniunt ipsas comitante uracho. Ab ischiaticâ & epigastricâ arteriolas mutuatur aliundè vesica. Eodem ferè modo venæ distribuuntur.

NERVI, ab intercostali, à paribus sacris, nec-non à plexu mesenterico inferiori prodeuntes illius substantiam perreptant.

PERINÆUM vocant Anatomici spatium anum & scrotum interjacens; cui cutis observatur pilorum bulbis conferta, in duas divisa partes lineâ quam *Raphè* Græci nominaverunt, à pene ad anum protensâ. Subter cutem reperiuntur urethræ trajectus, nec-non aliæ partes, ut musculorum erectorum, acceleratorum, transversorumque expansiones, ramulis arteriarum pudendarum irrigatæ.

I I.

URINA actione renum à sanguine secreta, per ureteres ad vesicam allata, ibi commoratur, donec quantitate nimia vel acrimonia naturali fibrarum vesicæ contractionem excitans, auxiliantibus diaphragmate musculisque abdominalibus, sphincteris resistentiâ superatâ, per urethram foras eliminetur, nisi exitum ejus prohibeant impedimenta præternaturalia.

ILLA autem ad quatuor capita revocari possunt.

PRIMUM, varias offert vesicæ affectiones, ut inflammatio cervicis, paralytis, spasmus, &c.

IN secundo considerantur substantiæ extraneæ in vesicâ congenitæ: cujus generis sunt calculi, pus, sanguis, urina diutius retenta, viscidior mucus, vermes (a), fungi.

AD tertium referuntur morbi vel affectus vesicæ alieni, inter quos annumerantur graviditas, corpora extranea intestino recto tenaciter adhærentia; fœces alvinæ induratae; hæmorrhoides ultra modum sanguine turgentes; abscessus anum ambiens; tumores vel scirrhi collum vesicæ comprimentes; prostatica (b) vel scirrhusa vel justò grandior.

AD quartum denique pertinent urethræ pravæ dispositiones; scilicet illius constrictio, à substantiâ spongiosâ tumefactâ, vel à cicatricibus ulcerum, procreata: quibus adjungitur urethra collapsa, affectus senibus familiaris quo fibræ suo orbatæ elaterio rugas seu plicas canalem obstruentes efformant.

I I I.

A causis mox enumeratis exitum lotii præcludentibus, citius

(a) Bibliot. Chirurg. Manget. tom. 4. pag. 323.

(b) Morgagn. Adversar. Anatomic. III. pag. 83.

4

vel tardiùs funesta progignuntur symptomata. Singularum ischuriæ causarum genio consulens Chirurgus, quandoque felici cum successu eas diversis propugnat armis. Sæpè sæpius autem omnibus adhibitis incassum remediis sævit crudelior morbus ; & tam vehementi constrictione coarctatur vesicæ sphincter , ut introductio catheteris vel à peritissimis nullatenùs obtineri queat. Tunc imminente letho unicum superest auxilium , punctura vesicæ administranda ; dummodò absit à perinæo abscessus , urethra propè cervicem vesicæ callositatibus suppuratione solvendis non fuerit referta , nec prostata scirrhusa , nec tandem vesica à fungis aut à calculo liberanda : his enim casibus, ad perfectam curationem, competit incisio sive sectio perinæi aut vesicæ, quæ ad nostrum minùs pertinet scopum.

I V.

PARACENTESIS vesicæ variis modis , variis in vesicæ partibus celebrata fuit. Suprà pubem in parte anteriori ipsius corporis , & in perinæo per cervicem vel corpus ipsum intrudi valent varia instrumenta.

TOLETUS (a) & *Dyonisius* (b) modum ab antiquioribus adhibitum tradunt. Ope scalpelli angusti, ancipitis, peragitur incisio in eâ perinæi parte quam pervadit scalpellum in methodo per magnum apparatus institutâ, donec ferrum vesicæ cavitationem invenerit, quod ab urinâ juxtâ scalpellum prorumpente subito dignoscitur. Specillo ad latus scalpelli productò manu dextrâ, ipso scalpello manu sinistrâ firmato ac deinde retracto ; tubulus vel fistula argentea, quatuor circiter pollices longa, per factum in perinæo vulnus, ducente specillo in vesicam conducitur, & funiculi plani vel fasciæ accommodatæ beneficio retinetur. Cannula continendæ vel excernendæ urinæ dicata turundâ obturatur, sicque continetur donec ischuriæ causa avulsa fuerit. *Dyonisius* autem (c) istum operandi modum, ad normam apparatus lateralis instituendum, expeditiorem utilioremque reputavit. *Colotus* (d) punctiorem perinæi ad normam magni apparatus conficiendam, hoc modo proponit. Ægro ritè disposito, intromittit in urethram catheterem

(a) Libr. de Lithotom.

(b) Operat. Chirurgic. demonstrat. III.

(c) Loco citato.

(d) Libr. de Lithotomiâ.

3
fulcatum, donec impedimentum catheteris progressum ulterius
rem prohibeat. Deinde scalpello lithotomo perinæum & ure-
thram secatur ut in magno apparatu, donec in sulcum cathe-
teris pervenerit apex, vulnusque infligit non adeò amplum
quàm in calculi sectione. Postea ductorem canaliculatum, *le*
Gorgeret, in vesicam per cervicem introducit, quoadusque uri-
næ defluxus ductorem ad illam pervenisse certò certius indi-
cet. Evacuata urinâ, tubulum, dirigente ductore canalicula-
to, in vesicam intrudit, cœteraque, ut antea actum est, perficit.

CONSIDERATIS his operationibus modò memoratis, patet
hasce incisiones non tantum competere urinæ evacuandæ,
verum etiam morbo locali tractando potius præstare. Quoties
enim urina retinetur, cum quandoquæ adsint affectus locales
difficillimè solvendi (paragrapho III. enumerati) tunc impar
foret simplex punctio, & his operationibus tantum, diffi-
cioribus licet, feliciter debellaretur morbus.

NON item quando ischuria oritur ab inflammatione aliisve
causis (paragrapho II. expositis) : tunc enim illis curandi ra-
tionibus, tutior, commodior præstat punctura, quâ vesica sec-
tionis experta, vulnuscule tantum ab acu intrâ corpus illatâ,
perforatur. Hæc methodus veram & propriè dictam vesicæ
puncturam constituit.

ILLA autem vel suprà pubem ad normam alti apparatus,
vel in perinæo ad instar lateralis methodi, vel in parte poste-
riori vesicæ, acum ducendo per viam intestini recti, admi-
nistratur.

QUI suprà pubem eam instituere voluerit, acum tubulo in-
clusam antè pubis symphysim, eâ parte quam incidere solent
Lithotomi in alto apparatu, in anteriorem corporis vesicæ
partem providè deprimat. Acu retractâ per tubulum in plagâ
relictum exit urina. Tubulus circum corpus alligatus obtura-
tusque retinetur, donec morbus ischuriam produciens fuerit
devictus. Tunc sublato tubulo, vulnuscule breviter sanâ-
tur (a)

Ad punctiorem in perinæo instituendam (b), resupinus in

(a) Vid. *Rosset*. de part. Cæsar. pag. 268.

Colot. I. lib. de Lithotom. pag. 45.

Merius Histor. Acad. Scientiar. ann. 1701.

Middleton. Lib. de alt. operat. pag. 52.

(b) Vid. *Riolan*. Enchirid. Anatomic. Lib. 2. cap. XXX. *Thevenin*.
Chirurg. Parisiens. oper. Chirurg. cap. CXXI. Comment. Acad. Reg.
Scient. Paris. ann. 1701.

lecto collocandus æger, situm tenens magis horisontalem quam secundum apparatus magnum. A ministris contineatur immotus. Tunc Chirurgus indice sinistro oleo illito in anum introducto, vesicam undulantem percipit; ipsoque digito intestinum rectum versus latus dextrum detorquet. Interea manu dextrâ acum triquetram fistulâ suâ munitam, anum inter & ossis ischii sinistri Tuber horisontaliter intrudit in cavitatem vesicæ, inter collum & ureterem sinistram; retractâ paululum acu, per cannulam jugiter effluens urina vesicam perforatam planè demonstrat. Tum acû sublatâ, urinâ penitus effluxâ, fistula turundâ clauditur, firmaturque mediantibus spleniis apparatusque convenientibus. Quoties urinam edendi necessitate stimulatur ægrotans, aufertur turunda, fistulaque in suo situ conservatur quoadusque causâ morbi remediis idoneis devictâ, vias naturales lorum percurrere valeat. Tunc sublatâ fistulâ paucis diebus consolidatur vulnusculum.

Si causa ischuriæ radicibus tolli nequeat, ut ætate provectioribus aliquoties accidit, per reliquum vitæ decursum cannulam, argenteam in vesicâ gestare debet æger cochleâ claudendam ut ad libitum continere & emittere valeat urinam.

PAUCIS abhinc annis D. Fleurant (a) Chirurgus Lugdunensis peritissimus, hanc novam excogitavit vesicæ puncturam. Acum triquetram curvam, cujus apex in cannulâ recondendus, sub indice digito latentem per anum introducit in intestinum rectum aliud quantum fieri potest: tunc manus vola cui infidet acûs manubrium, ipsum sursum repellendo, acum impellit vi moderatâ, rectum pervadens in cavitatem vesicæ. Per cannulam urinâ confluentem extrahitur acus, firmaturque cannula ad ani marginem auxiliante decenti apparatu.

V.

UNAM quamque punctiōis methodum indifferenter admittendam minimè putandum. Una quæque provariis casibus utile pensum potest absolvere; Imò alia aliis absolutè quandoque est antepōnenda.

Punctiō suprà pubem commodior ac præstantior *Toletō*, *Riolano*, *Rossio* visa, à *Meryo*, *Douglassio*, *Midletono* aliisque feliciter aliquoties celebrata fuit. Equidem hac me-

(a) Vid. Miscellan. Chirurgic. Domini Pouteau Doctor. in Medicina & in Chirurg. Lugdun. ann. M. D C C. LX.

thodo brevior certiorque in vesicam via : at illâ adhibitâ ;
urina quæ superest in infimâ parte vesicæ per cannulam to-
taliter evacuari non potest. Aliunde contracta vesica mole-
que imminuta à cannulâ removeretur , infiltrationemque urinæ
intrâ textum cellularem parit. Longiorem cannulam curvam
adhibendam frustra objiceretur ; hæc enim tùm vesicæ parieti
incumbens , ipsius membranas inflammatione afficere potest ,
imò perforare , uti constat ex observatione Sharpii (a). Parcè
ergò adhibenda , & tunc tantùm idonea æstimetur quando
prægrandi tumore scirrroso occupatur perinæum & ægri vires
sectionem admittere non valent , vel quandò vesicæ cervix
inflammatione breviter solvendâ afficitur.

COMMODA quædam præ se ferre videtur , quæ per intesti-
num rectum celebratur vesicæ punctio. Hac methodo facilis
& ferè absque dolore in vesicam penetratio , vesicæ pars in-
ferior aperitur , unde facilis urinarum effluxus. At hæc utili-
tates accidentibus pertimescendis impares absolutè videntur.
Alvum enim deponendo , cannula facilius motu ad hanc
functionem congruo , dimoveri potest. Si tenesmis aut alvi
fluxu crebriori laboraret æger , incommoda certè cannula ,
sin minùs noxia aut à sede deturbaretur. Denique si paucis
diebus non evanescat morbus , inflammatio præsentia can-
nulæ orta subsequensque suppuratio , accidentibus difficillime
curandis , aut etiam fistulæ difficiliùs sanandæ originem darent.

COMMODIOR ergo tutiorque , quantum morbi indoles ad-
mittit , punctio per perinæum instituta. Vesica enim in parte
inferiori perforatur , urinarum inde versùs tubulum affluxus
faciliorque evacuatio : in quocumque ægrotantis situ commo-
diùs certiusque retinetur cannula ; nonnisi difficilè , à vesicâ
dimoveri potest , sive plena sive vacua fiat ; à cannulæ præsentia
nihil mali pertimescendum , nihil incommodi parit , diutiùs
licet in vesicâ permaneat , longiorque morbi antecedentis ob-
tineatur curatio. His ritè ponderatis , concludendum tutiorem
certioremque esse per perinæum punctiorem idèòque cæteris
punctiõibus non immeritò anteponendam (b).

(a) Vid. *Recherches sur l'état présent de la Chirurgie* pag. 155 & suiv.

(b) Vid. *Synops. Dissertation. quam in comitio Acad. Reg. Chirurgic. public. communicavit celeberrim. Actus Præses sub hoc titulo. Parallele des différentes méthoæes d'ouvrir la vessie dans le cas de rétention d'urine. Mercure de France, Décembre 1761.*

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. TUSSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Antiquo Præposito, Professore Regio, Regiæ Chirurgorum Academiae Consiliario & pro Commercio Extraneo Secretario, Academiae Florentinæ Socio, tueri conabitur, JOANNES-NICOLAUS LAMBLOT, Parisinus, in alma Universitate Parisiensi artium Liberalium Magister, ultimis bellis Primarii Castrorum Exercituumque Chirurgi adjutor, nec non, Regii Principis Infantis Hispaniarum, Ducis Parmensis &c. Olim Chirurgus Primarius designatus, Regiæ Chirurgiæ Academiae Correspondens; Theses Author.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati 8^a. mensis Junii, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam, Anno R. S. H. 1765.

P R O A C T U P U B L I C O
E T
M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis P. AL. L E P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.